



ASPASIA mulier, consuetudinem amatoriam cum Pericle habuit, quam vnicè adamavit: nam cùm exiret domo, & cùm ingrederetur, eam osculabatur. hanc nomine & gloria claruisse ferunt. Quæ autem in bello contra Samios gesta sunt, decreto Periclis ob Milesios, rogatu Aspasiæ facta dicuntur. Vxorem Pericles alteri dedit, cùm ingrata vtrique vitæ cōsuetudo foret, hanc autem Aspasiam superinduxit. Plutar. in Pericle.

PERICLES Atheniensium dux, cum Sophocle Poëta tragico, missus est aduersus Lacedæmonios, qui diuerso exercitu, Lacedæmoniorum agros vastauerunt, & multas Achaiaë ciuitates Atheniensium imperio adiecerunt. his malis fracti Lacedæmonij in annos triginta pepigerunt pacem: sed tam longum ocium inimicitiaë non tulerunt. Quare intra quindecim annos, fines Atticos populantur, hostes ad prælium vocant: verùm Athenienses Periclis consilio iniuriam differunt in tempus vltionis. Deinde interiectis aliquot diebus naues conscendunt, & nihil sentiētibus Lacedæmoniis, totam Spattam deprædantur, multoque plura auferunt quàm amiserant. Post hæc nauali prælio victi Lacedæmonij, fugerunt: pacem in annos quinquaginta fecerunt, quam non nisi sex annos inuiolatam obseruarunt. hæc facta sunt temporibus Artaxerxis, anno scilicet à mundo condito 3536. ante Christum natum 426. Iusti. lib. 3. Plutar. in Periclis vita. bellum intestinum, quod Peloponnesiacum dicitur, tunc incepit, quod durauit annis 27. de quo Thucy. & Xen. De Pericle mētionem quoque facit Eras. in apoph. lib. 5. & 8.